



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Peregrinatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Platonis sententiam convertamur: ille nimirum, de avibus, quatenus aves sunt, afflictas eas non canere dixit: qui vero flebile quid Pandionis filiiis attribuunt, ad eam, quæ de iis fabula vulgata est, respiciunt. Verum operæ pretium est fabulam, quemadmodum apud Sophoclem digesta est, poemate de Tereo, subtexere. Pandiona quidem, ait is, Atheniensem filias habuisse Procnen & Philomelam, quarum Procnen Tereo Thraci in matrimonium collocavit, qui Ityn ex ea filium suscepit. Aliquo vero post tempore accidit, ut Tereus Athenas repetierit, Philomelam ad Procnen uxorem deduciturus in Thraciam, quam in Daulide Bœotia defloravit, linguamque ejus abscidit, ne quid ad fororem deferre posset. Cum vero hæc in Thraciam appulisset, historiam ut acta fuerat, acu pingit, remque ita omnem manifestat. Procne re cognita Ityn filium discerpit, patrique Tereo epulandum apponit. Hic vero ubi se filium absumpsisse cognovit, eas erat districto jam gladio interfecturus, quas Dii miseri, ut ajant, in aves transmutarunt, & procne quidem Luscinia facta, Ityn absumptum lamentatur, Philomela Hirundo, Tereus mihi vim intulit, assidue clamat. Ille vero in upapam mutatus, πρ πρ gemens dicere videtur. Hæc cum filium meum discerpissent, eum mihi in epulas apposuerunt. Quare Proclus veniam antiquissimo Poetæ dare potest, qui sorores infelicissimas etiam aves factas, sortem quamque suam, quasi permanente præteritæ calamitatis memoria, ita lamentari confinxerit.

*Obidius l. 6.
Meta, 5.
Naro in
Sileno.*

*Alii, per
nuncios suo
sanguine
scriptum a
sororem
misit.
Ily conber
sus est in
Phasianum.
Strabo l. 7*

PÈREGRINATIO. CAP. XXXI.

In conjecturis alioqui, habere se Hirundinis caput imaginari, peregrinationem significat: id enim earum avium præcipue proprium, utpote, quæ neque quidem apud parentes degere soleant. Hinc Hirundo quæ in Pyrrhi tabernaculo nidum posuit, rerum quas peregrè instituerat, irritum eventum ostendit. Indicavit id ipsum Cyro, quæ in tectis ejus nidificavit. Quamvis Dionysio priori arcem relinquenti, cum ibi nidularentur, reditum portendere.

RESIPISCENTIA. CAP. XXXII.

Sunt qui respiscendam per Hirundinem acu transossam oculos indicent: ea si quidem, si vulneratis oculis obcæcata fuerit, oculos tamen & lucem recuperare fertur. Cujus rei causam commentantur, imperfectionem quandam qua prædita sit, natura quippe nondum vires omnes subministrante: in pullis enim tantum hoc evenire: quare si punctu læsi eorum oculi fuerint, superesse vigorem adhuc luminis, quem natura ipsa subministrat. Lumen autem pro sapientia & cognitione poni, perinde ac pro imperitia & insipientia tenebras, unicuique manifestum crediderim. Tertullianus abdit, uti eam ad hoc chelidonis suæ beneficio, cujus scilicet herbæ succo pullorum oculos oblinat, atque ita visum restituat. Ne tamen nullus sit nobis ex Hirundine usus, Cecinam Volaterranum equestris ordinis virum, legimus comprehensas Hirundines in urbe, secum in expeditionibus afferre solitum, quas postmodum victoriæ nuncios amicis mittebat in eundem nidum remeantes illico victoriæ colore. Ut minus jam illud admiremur, quod à Fab. Pictore traditum ajunt, cum obfideretur præsidium Romanum à Jugurthinis, Hirundinem ablatam à pullis ad se mox cum epistola rediisse, ut lino ad pedes ejus alligato, nobis significaret, quoto die adveniente auxilio, eruptio fieri deberet.

*Hinc chelidoniam
herbam ab
his inven-
tam tra-
dunt, Mat-
thiol. in
Dioscor. l. 2.
c. 49. Plin. d.
10. c. 33.
Ufus ex Hi-
rundinis,
quæ.*

JOAN-